

lioribus maxime ramosum, in siccis, arenosis, sterilissimisque uniflorum evadit. *Sonchus sibericus* locis fertilioribus foliis runcinatis est, alias denticulatis. Quo etiam citari possunt, *Viola biflora* var. *sexflorea*, *Phleum alpinum* var. *trispicatum* (Vet. A. H. 1823) *Angelica Archangelica*, umbella foliacea; *Geum rivale* flore duplicato, et calyce foliaceo; quæ tantum enormitates sunt, ob solum pinguidum luxuriantes.

§. 54.

Variationes plantarum, nimia soli locive sterilitate oriundæ, nuper allatis contrariæ sunt, et in superioribus §§. (45, 51) maxima parte commemoratæ, ut variationes graminum abbreviatæ atque pumilæ; *Plantago major*  $\beta$ . *scopulorum*, *Asperugo procumbens* var. *minima* (§. 45). *Luzula spicata* var. *petræa* (ibidem) etc.; quæ satis superque commonstrant aberrationes sterilitate ortas. Accedunt, *Rubus saxatilis* var. *spinescens*, ad ripas glareosas, *Carex acuta* var. *ripen-sis*, *Carex pulla* var. *subdivisa*, aliaque, quorum diversitates vide infra.

§. 55.

Vegetatio aquatilis est vel marina vel lacustris, fluvialis et stagnatilis, quas excipit limosa, paludosa, uliginosa